

ponamus, eam sententiam probemus; adversariorum autem, præsertim eorum, qui Quakeri denominantur, plura ac majora quam quæ præstare possunt, temere pollicentium, errores a vera sententia distingvamus ac refutemus: denique usum veræ doctrinæ in praxi Christiana ostendamus.

VI. Primo omnium igitur hic evolvendi sunt *termini*, atque explicandum, quid nomine *beatitudinis* seu *vita æternæ* in Scripturis denotetur; quidque vox *præ gustus* ex usu loquendi significare possit & soleat.

VII. Beatitudinis quidem distinctam, plenamque notitiam in hac vita dari, non est, cur dicamus, prohibente videlicet ipsa Scriptura; quæ *nondum apparuisse* dicit id, quod *futuri sumus*. I. Joh. III. 2. *Oculum non vidisse, neque aurem audivisse, neque in cor hominis ascendisse, quod Deus preparavit diligentibus se*: juxta Pauli ex Esaiæ prophetia desumptam sententiam I. Cor. II. 9. Interim, sicut vulgo nomine beatitudinis humanæ intelligitur hominis, tanquam naturæ rationalis, plena aut consummata felicitas, quam alias *summum bonum*, atque *ultimum* actionum rationalis naturæ *Finem* esse dicunt, & in *vita* ejus *perfecta* seu operatione homini maxime congrua, & circa objectum nobilissimum occupata actione perfectissima, cum aggregatione cæterorum bonorum sive qualitatum aut perfectionum, toti supposito, ac non solum animæ, sed & corpori, ejusque potentiis maxime convenientium consistere perhibent: Ita æternæ illius vitæ aut beatitudinis non plane nullam notitiam Deus nobis concessit, verum ipsis modo citatis locis revelationem ejus aliquam nobis exhibuit. *Scimus*, ait Johannes, de se & aliis *Dei filiis, quod si apparuit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*. Et Paulus l. c. addit: *Nobis vero Deus revelavit per Spiritum suum*. Et sicuti hæc quidem ab illo de quibuslibet mysteriis fidei Christianæ dicta sunt: ita *Cap. XIII. v. 12.* statum hujus vitæ & vitæ alterius secuturæ inter se comparans: *Cernimus, inquit, nunc per speculum in enigmate; tunc autem a facie ad faciem: nunc cognosco ex parte; tunc vero cognoscam, quemadmodum & cognitus sum*. Itaque Nostrates, licet alias agnoscant, beatitudinem,

B

dinem,